

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Primae Lineae Doctrinae De Protestatione Cambiali

Hufeland, Gottlieb

Jenae, 1799

VD18 12256064

§. 8. 2) Ulterior notionis dilucidatio.

urn:nbn:de:gbv:45:1-8845

in signiendum utantur; per metonymiam enim istud fieri facile patet.

§. 8.

2) *Ulterior notionis dilucidatio,*

Praecedens protestationis cambialis definitio ex eo lucem et robur nanciscitur, quod in cambiorum tum trassatorum, tum propriorum cursu plures occurrant actus, quos ut tertius perpetret, contrahentes hac vel alia ratione convenientiunt, quippe ut obligationem quandam implendam voluntatis suae declaratione suscipiat vel etiam eandem revera impleat. Quod quidem si non faciat vel non penitus sive minus perfecte faciat, sive nolit sive nequeat, redit res ad priores contrahentes; idque si acciderit, nova nascitur unius contrahentis obligatio, quae alias si nempe desiderio respondisset tertius, locum non habuisset. Ut igitur novae huic obligationi sua vis et effectus constet, necesse est argumenta in promtu sint, quibus probetur, haud praestitam fuisse, quae hujus obligationis conditionem contineat, actionem; id quod fit interposita protestatione cambiali *)

§. 9.

3) *Notionis per partes explicatio.*

Si istam definitionem, quam praemisi, in suas partes dissolvere velis; facillime invenies, ad protestationis cam-

*) Terminum: *einen Protest leviren*, alii de acceptatione instrumenti a notario per protestantem facta, alii de ejusdem transmissione ad trassantem s. alium ex cambio obligatum, alii denique de ipsa instrumenti confectione explicant. Cum vero omnia ista facta in eadem concurrent persona, ultimum autem maximi inter omnia sit momenti; haec vocabuli significatio palmam mihi prae ceteris mereri videtur.

